



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Successionibus ab intestato. Consilium CCCCXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Etio, caro, aut sanguis trahit, *Benedict. Capra d. 7. consil. 54. nu. 11.* * ita ut nec sibi, nec suis spurij liberis, si quos haberent, quicquam ex his distribuere possent, *Bald. in d. l. id quod pauperibus, Capra d. consil. 54. nu. 25.* Est tamen in hoc arbitrio libertatis plurimum; sic ut omnia ex voto Superioris facere non debeant, neque etiam ex palato eorum, in quos idonee hæc distributio fieri posset; cum ea in parte gratificatio penitus exclusa non sit; sed causam causæ, personam personæ præferre possint, *Bald. in l. 1. num 31. c. De sacros. Eccles.* * Piarum enim causarum cum multa sint genera seu species, *Tiraquel. in tract. de pia causa in præfat. veluti pauperum xenodochia, Monasteria, alimentatio egentium, redemptio captivorum, studium, confraternitas, res sacræ; in eas omnes hæc distributio fieri potest, si id discretio Executorum dijudicabit, vel in aliquot ex his, alijs cunctis; sic ut sufficiat exitum & effectum distributionis esse pium, & in eo versatos esse Executores bonæ fide.* * Et ut inter causas electionis libertas est; ita quoque inter personas, quamvis non tanta, cum potior debeat esse consanguineorum testatoris conditio, tum quod ea commendatione prætermittenda id servari, ratio & æquitas postulent, *c. Non satis 86. distict. Bald. angel. & Imola in l. illa in situ De her. instit. Bald. in d. l. id quod pauperibus nu. 34. varbatia in c. Cum tibi vers. querit hic de testam. Paulus Paris. consil. 26. Frater Ioannes nu. 31. vol. 4.* non sic tamen, ut adstringantur maximam, aut mediam partem totius residui in consanguineos testatoris pauperes erogare. Distributio enim Executoribus commissa est; quæ in huiusmodi erogatione, quæ pietatis gratia fit, non debet esse exorbitans; sed in multas partes secta & diffusa: nam elemosynam hac commissione exercere voluit testator; non ditare quæquam.

Proinde bona ratione possunt Domini Executores illi, qui nunc importunius eos obturbat, rejicere; ac distributione prius accepta contentum esse iubere, cum dignum emolumentum habeat; quia huiusmodi distributio secundum iudicium boni viri sufficiens est: præsertim quia commendatio de pauperibus consanguineis speciale legatum non inducat: nemo enim commendando tantum censetur legare aut fideicommittere, *l. Fideicommissa §. si quis ita scripserit de leg. 3.* Sic ut specialem actionem non habeat ille obturbator; sed tantum, sub generaliter fideicommissa distributionis, officij iudicis implorationem: multò minus jus aliquod petendi dimidium residui: quasi media pars pauperibus amicis, reliqua dimidia alijs extraneis pauperibus sit eroganda. Nam, ut diximus, causarum, in quas fieri debeat hæc distributio, modus aut numerus præscriptus non est; sed tantum inter omnes causas, præ cæteris commendata tantum pauperum amicorum causa. Omniumque maxime, quod in facto proponatur, hunc obturbatorem non satis gratum fuisse testatori, ob prodigam & dissolutam vitam: sic ut testator rogatus, ut ei seu ejus uxori in testamento provideret, auscultare noluerit. Sic quod nec prior erogatio satis videatur facta secundum intentionem testatoris; nisi ex præsumpta remissione odij

per testatorem in extremis facta sustineatur, *Bald. in d. l. id quod pauperibus nu. 34.* & utrinque rationabilis videatur; meritòque ab ulteriore erogatione in hanc eandem personam Executores abstinere possint; tum propter honestam & competentem distributionem antecedentem, tum quod distributio in plurimos fieri debeat; tum denique quod persona majorem erogationem non mereatur: quod enim ei daretur, perdituro & per luxum consumpturo daretur, & male, *argum. l. si quis cum sciverit pro emptore.* Satis igitur officio suo facient Domini Executores, si in facienda distributione, moderate ac bonâ fide pauperibus cognatis testatoris succurrant; & ea in re secundum rationabilem discretionem faciant: nam si elemosynæ, aut pij legati modum excedere voluisset testator, per speciale legatum hoc fecisset, sicut aliquot cognatis expressim succurrit. Inter quos sunt, qui fortè ex testamento non tantum acceperunt, quantum hic obturbator ex prima distributione. Sic ut certissimum & indubitissimum sit, testatorem neminem ex cognatis collectivè vel separatim vocasse ad aliquam quotam; hoc est dimidiam, tertiam, aut quartam residui; sed tantum ad id, quod Executores equabili discretionem eis distribuendum putarent. Atque ita aliquando obtinui in secreto Concilio Cæsariæ ac Regiæ Catholice Majestatis in causa Executorum testamenti Illustris quondam Domine de Chievre, contra cognatos & amicos ejusdem Domine; quæ simili modo residuum bonorum secundum discretionem Executorum pauperibus distribuendum reliquerat.

De Successionibus ab intestato.

SYMMARIUM.

Beneficiatio quis succedat.

1. Prelati & clerici ad quæ facta testam. teneantur.
2. Prelati vel clerici hæres ad quæ refectiones per defunctum neglectas teneantur.
3. Prelatura vel beneficii successor, ad quæ obligationes per prædecessorem contractas teneantur.
4. Prelatorum vel beneficiatorum hæres à successore in prelatura aut beneficio quas repetant impensas.
5. Instantia litis an ad successores in Prelaturis aut beneficijs, an ad hæres transseat.

CONSILIUM CCCCXXX.

Iunge Sup. consil. 371

POST unionem & annexionem Præposituræ ac Monasterij de Watenes per Sedem Apostolicam ex consensu Regiæ Catholice Majestatis, ad Episcopatum Audomarensem factam in anno 1578. pro tunc vacante Sede Episcopali; nondum ad illam nominato Reverendissimo Domino Ioanne Six, novissime defuncto Episcopo (cujus nominatio facta est in anno 1580.) dictum Monasterium per hæreticos & rebelles suæ Majestatis est funditus subver-

subversum, & ad ruinam redactum. Quæritur, an idem Monasterium ex toto, vel ex parte reedificari seu reparari debeat expensis & onere dicti novissime defuncti Episcopi, aut ejus hæredum; ex eo, quod perceperit redditus dicti Monasterij, tam qui vacante sede, quam qui postea obvenerunt: qui tamen fuerunt exigui, ex eo, quod bona dicti Monasterij (quæ principaliter sunt sita in circumvicinis locis ejusdem Monasterij) fuerint omnino deserta, & inculta, usque ad exitum anni octuagesimi tertij; ex eo etiam, quod propter hujusmodi devastationes & damna, idem Reverendissimus Dominus Episcopus, ex consensu Regiæ Majestatis, & auctoritate Archiepiscopi Cameracensis sui metropolitani, obtinuerit facultatem gravandi bona dicti Monasterij quatuor millibus florenorum, applicandorum partim in dictam reedificationem; partim in solutionem debitorum, quæ quidam in dictum Monasterium intrusus contraxerat; sub conditione ante exitum duodecimi anni restituendi hanc quatuor millium florenorum summam, quæ in dictas causas impensa seu conversâ est; attento præsertim, quod post mortem hujus Reverendissimi Domini Episcopi (licet admodum frugaliter semper vixerit, à convivij non necessarijs abstinendo; & in patrimonialibus bonis circiter quadringentos florenos annuos habuerit) in ejus bonis, in signato auro & argento, inventi fuerint dumtaxat circiter centum floreni; ultra summam mille ducentorum quadraginta septem florenorum octo solidorum, quam apud se habebat pro viatico ad Concilium Provinciale: ex quibus obtingenti quadraginta duo floreni ei mutuo dati erant, ideoque suo tempore restituendi; attentis etiam ruinis domus Episcopalis, cujus reparationem per ejus prædecessorem Episcopum ei relictam, maximis expensis fecit, dictamque domum commodissimam reddidit; ex qua tamen fructum aut recompensationem aliquam numquam percepit: attento etiam, quod dictus prædecessor paulo ante mortem suam omnes perceptos ex hoc Episcopatu fructus pauperibus donavit: attento denique, quod plures superfuerint processus adversus dictum Reverendissimum Dominum Episcopum, ratione fructuum & onerum dicti Episcopatus à diversis instituti; in quibus si hæredes succumberent, non facile funebilibus & alijs debitis solutis, sufficerent per dictum Episcopum percepti fructus, aliæque per eum relictæ bona; non attingendo bona ejus patrimonialia: ideoque si hæredes tenerentur in dictam reedificationem dicti Monasterij aliquid præterea impendere, penitus frustraretur ejus ultima voluntas, per quam de omnibus bonis suis disposuit ad pias causas; excepto corpore sui patrimonij, & quibudam exiguis legatis, amicitia, memoria, & recompensationis servitiorum gratia relictis. Hoc quoque verum esse proponitur, quod hic Reverendissimus, mediante pretio trium millium florenorum, acquisierit domum quandam in civitate Audomarensi, cum intentione constituendi in ea Seminarij; & quod præterea per tractum acquisierit medietatem cujusdam villæ, quam cum suis cognatis pro indiviso communem habebat, solutis dumtaxat mille sexcentis aut sep-

Conf. Wamef. Tom. II.

tingentis florenis, residuo pretij illius relicto hæredibus sui patrimonij? * Circumstantiæ, quæ ex facto proposito hic concurrunt, quamvis in perdurante vitâ præfati Reverendissimi Domini Episcopi satis idoneæ essent ad obligationem reedificationis & reparationis dicti Monasterij; cum ad Prælatum spectet onus non tantum sartorum tectorum, consistens in parvis & successivis veterum ædificiorum reparationibus; quod sustinere debet quicumque usufructuarius, l. *Eum ad quem Cod. De usufr. l. V. usufructu §. fin. d. cod. tit.* sed etiam novi ædificij seu reedificationis, si vel vetustate, vel aliâ ratione ædificia corruerint; ad quod regulariter nudus usufructuarius non tenetur, l. *Hactenus in princ. D. de usufr.* Nam Prælatus, etsi in percipiendis fructibus prælaturæ, ut illos suos faciat, satis comparetur usufructuario; in ijs tamen consumendis, & expendendis restrictior est illius potestas; ut non possit illos expendere aut consumere, nisi ad sui honestam sustentationem; & quicquid ultra illam superest, in Ecclesiæ seu Prælaturæ utilitatem, vel in elemosinam pauperum, *can. Episcopus xii. q. 1. Covar. ad c. Cum in officijs De reftam. ** Unde consequitur, quod perinde ad graviores expensas tam novi operis, quam sartorum tectorum teneatur; & si in eo negligens, aut remissior fuerit, ab ejus hæredibus id exigere possit, *Paul. Castrenf. consil. 337. Primò quaritur nu. 8. vol. 1. Francis. Marcus decis. 96. parte 1.* Mortuo tamen Prælato, vinculum hujusmodi obligationis non transit ad ejus hæredem, quem vel ex testamento, vel ab intestato habet. Ut enim illum non sequuntur Prælaturæ fructus non tantum futuri, sed etiam percepti & extantes (ut in præcedente consultatione deduximus, vide *consil. 370. sup. de pecul. cleric.*) ita nec illis coherens ædificationis vel reparationis necessitas, velut principali sublatum, l. *Cum principalis De reg. iur.* præsertim quia nihil ponatur, vel de excessiva fructuum perceptione, vel modica ex illis erogatione in reedificationem. Cum alioqui Prælatus ne quidem quoad facta tecta, & quotidianas seu successivas reparationes cogatur de suo dimenso detrahare, & genium suum defraudare; etiam si non de habitationibus seu ædificijs Religiosorum, vel clericorum; sed etiam ipsius Ecclesiæ seu templi agatur. Hæc enim hujus necessitatis exhibitio non primum, sed secundum locum obtinet; & exhibenda est de eo, quod ultra non tantum necessitatem, sed etiam commoditatem ipsius Prælati superest. Vique adeo ut, ob hujus secundariæ necessitatis causam, Prælatus non teneatur parcius aut frugalius vivere, quam per regulas honestatis & civilitatis obligatur, *c. 1. c. De his de eccles. adif. c. fin. & ibi Panor. in fine De his quæ sunt à maiori parte caput.*

Nec ad hujus oneris seu necessitatis transmissionem ad hæredem præfati Reverendissimi Domini quicquam facit illa levatio seu perceptio quatuor millium florenorum, in causam dictæ reedificationis, & solutionis debitorum, quibus dictum Monasterium oneratum invenit; ex quo, ut proponitur, illa summa in eandem illam causam est conversâ, eoque nomine ob id nulla possit esse, aut defuncti Prælati aut ejus hæredum ad dictum Monasterium obligatio. Perdurat quidem

Cc 4

obligat

obligatio restituenda illius summae his, à quibus illa accepta est, & perdurabit, donec restituta fuerit: mortuo tamen Reverendissimo Episcopo ad eius hæredes non est translata, sed relidet ac manet apud ipsum Monasterium, seu illius in Prælatu successorem. Hoc enim iure constitutum est, quod per defunctum Prælatum in necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ contracta obligatio per successorem in Prælatu, non per illius testamentarios seu sanguinis hæredes sustineri, & dissolvi debeat, c. 1. *De solut. & ibi Panorm. & alij, Castrensis consil. 2. vol. 1. Anchar. consil. 301. Viso diligenter, Franc. Marc. decis. 4. 7.* fatilique ob id eius hæredi esse debeat, si probare possit hanc pecuniam conversam esse in Monasterij utilitatem. Qui hæres nec magis constringitur, ex eo, quod hic Reverendissimus se obligaverit ad redemptionem, seu liberationem ab hac summa intra duodecim annuum: nam hoc informans velut pactum seu conditio adjuncta, licentia seu auctoritati gravandi Monasterium ad hanc summam comitatur ipsam obligationem, & perinde transfertur ad successorem in Prælatu; quia scilicet ad utilitatem illius quoque pertinet: ita ut per superiorem Archiepiscopum successor etiam cogi possit in exitu duodecimi anni hoc debitum dissolvere. Quia in parte successor, etiamsi hos numeros non percepit, magis gravatus, quam futurus erat Reverendissimus Dominus, dici non potest; ob id, quod impensæ reedificationis hæcenus factæ eius commodo cedant, & eum relevent, qui quantum majores de fundus in hanc causam fecit, minores facere tenebitur, cum evidentiore percipiendorum fructuum Monasterij emolumento, præsertim in feliciore temporum successu, & latiore fundorum culturâ, quam defunctus ex malignitate temporis arctiorem habuit. Hæc igitur promissio de dequitando hoc onere, tacitam hanc habet sive legem, sive conditionem, rebus in eo statu permanentibus, l. *Continuus §. cum quis in fine De verb. oblig. l. Quod servus De conduct. causa data, & ibi Gloss. in verb. posse*; hoc est in proposito, si dictus Reverendissimus Dominus in exitu duodecimi anni adhuc superesset: non quidem, ut illius morte finitur hæc obligatio, sed ut transferatur ad eum, qui illum representaturus esset; hoc est ad successorem in Prælatu, Cujus obligationis præstandæ & representandæ necessitas, tantò potentius ad successorem in Prælatu transferri debet, quod in præcedente consultatione, vide d. cons. 370. sup. de pe. ul. cler. deductum sit, fructus dicti Monasterij extantes ex novissima messe ad eum, non ad hæredem Reverendissimi Domini transferri: ut ex translato commodi ratione proclivior quoque sit translatio hujus oneris, c. 1. & ibi Gloss. 1. *De Eccles. edific.*

4 Et tantum abest, ut dicti Reverendissimi Domini hæredes multum debeant esse solliciti de excutiendo à se hoc onere ulterioris ædificationis (de quo solo nunc proponi videtur) ut ex contrario merito cogitare possint, anne à dicto Monasterio seu successore in Præpositura & Episcopatu pleraque etiam repetere possint, quæ de suo in necessarias & utiles causas dicti Monasterij, ultra quam ex fructibus Monasterij percepit, seu

percipere potuit, Reverendissimus impendit; & inter alia ad hoc successorem urgere, ut mutuum illud circiter nonagntorum florenorum contractum propter protectionem ad Concilium Provinciale, ex fructibus seu emolumentis Episcopatus & Monasterij persolvatur. Id enim cum ob necessitatem & utilitatem Ecclesiæ sit contractum, æquum est ex illorum fructibus & bonis præstari, argum. c. *Ut præterita De elect. & minime relinqui ad onus hæredum, quibus hoc defuncti proprium officium non debet esse damnum, l. Si servus communis §. quod verò De furtis. ** Sed & illud, si anne in successorem Episcopum seu Præpositum transferri debeat instantia litium, quæ adversus Reverendissimum Dominum non privato & proprio suo nomine, instituta adhuc indecite pendunt. Nam instantia litis mortuo eo, adversus quem illa instituta est, transferri debet in eum, qui ejus loco succedit, & eum repræsentat, l. *Si eum hominem De fide. iuss.* Cum ergo Prælatus duas stationes sustineat, alteram suo proprio, alteram dignitatis nomine; & ex duabus his stationibus alium atque alium habeat successorem, cujusque stationis causa per se considerari, & minime hæc inter se confundi debent, *Præses in loco de Tanquam.* Verum quia de his causis nihil nobis ad resolutionem juris proponitur, sed ad dictarum circumstantiarum explicationem & demonstrationem, quomodo in hoc Episcopatu, & in rebus dicti Monasterij hic Reverendissimus Dominus se gesserit, & quam parum emolumenti ex bonis & redditibus Monasterij percepit; & quam multum de suo etiam erogaverit & præstiterit, latius hæc non prosequimur: in eo consistentes, nihil proponi, cur ejusdem Reverendissimi Domini hæredes dicto Monasterio teneantur ad continuationem aut perfectionem dictæ reedificationis.

De Successionibus ab intestato.

SUMMARIVM.

Episcopo Abbati quis succedat.

1. Episcopo Abbati an succedat Episcopatus, an Abbatia.
2. Fructus Abbatia incorporata, Episcopatu vocante, cui cedant.
3. Episcopus an testari possit de fructibus Ecclesiæ.

CONSILIVM CCCCXXXI.

EPISCOPATV Middelburgenfi incorporata est Abbatia B. Maræ ibidem, estque modernus Episcopus in possessione ejusdem Cathedralis Ecclesiæ dicti Episcopatus ex morte Episcopi occupat bona: quaritur, mortuo Episcopo, quod devolventur bona per dictum Episcopum relicta; & vacante Episcopatu, cujus futuri sint fructus Abbatia seu Ecclesiæ.

Respondetur paucis quoad primum, quod secundum terminos juris communis, c. 2. & 3. *De pecul. c. Quia nos de testam.* Episcopo in bonis ex dicta Abbatia, & intuitu Ecclesiæ acquisitis, succedet Ecclesiæ, & minime dictum Monasterium seu Abbatia. Ut enim Abbas unius Monasterij, ad majorem dignitatem seu Episcopatum alterius Ecclesiæ translatus, omnia, quæ post consecrationem